

428533

RMK. 1295.π

B M V.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

n

F A L S I T A S

Toti Mundo detecta.

4527 S E N:

Refutatio Trium  
illorum Argumentorum,  
(unà cum eorundem *Comple-  
mento*) quibus GEORGIUS BAR-  
SONY, Episcopus Titularis Vá-  
radiensis, ostendere conatur,  
Sacram Cæsaream Regiamque  
Majestatem non obligari tole-  
rare in Hungaria Religio-  
nem Evangelicorum.



Antuerpiæ, apud Constantium Ve-  
racium, sub Signo Bonæ Speci.

Anno 80 Iac. xvii.



*Caroli V. Imperat. Apophtegma,  
Referente Christiano Matth.  
in Theatr. Histor. Monarch. I.  
fol. 65.*

Fidem rerum promissarū,  
etiam si toto mundo exu-  
let, apud Imperatorem ta-  
men consistere oportere.



Lectori Pio Salutem, &  
perseverantiam!

**B**enevole Lector! Prodijt nu-  
per in lucem libellus, sub Ti-  
tulo, Veritas toti Mundo  
declarata, Authore GEORGIO  
BARSONY, Episcopo (ut apella-  
ri vult) Váradiensi: in quo ille  
Toti Mundo vult persuadere, Sac.  
Cæs. Regiamq; Majestatem non ob-  
ligarit tolerare in Hungaria Religio-  
nem Evangelicorum. Simul ac  
Libellus in manus incidit, veru-  
jugulante illum transfiximus, fal-  
sitatemq; Trium illorum Argu-  
mentorum, quibus Purpuratus

*Præful nimium se iactat, Toti  
Mundo deteximus.*

*Libellus planè sanguinarius,  
qui nibil nisi extremum omnibus  
Protestantibus in Hungaria mi-  
natur exterminium. Peremtori-  
am in Capita, fortunasq; omnium  
Evangelicorum ferox ille Episco-  
pus dixit sententiam. Sed auxili-  
um nostrum esto à Domino,  
qui fecit Cælos & Ter-  
ram. Amen!*

*Refu-*

Refutatio Primi Argumenti, ex  
Legibus (ut putat) Hunga-  
gariae desumti.

Tanta est vis veritatis, ut vel  
ex ipso hoste non raro sui con-  
fessionem extorqueat. Exemplum  
Nobis est fatalis ille Trium Argu-  
mentorum Faber. Fatetur enim (nec  
conscientia reluctance difficeri po-  
tuit) vigore *Pacificationis Viennensis*  
Anni 1606. Evangelicis in Hunga-  
ria liberum suae religionis exerciti-  
um fuisse concessum. Et certè ita  
est; sicut liquet ex tenore *Pacifica-*  
*tionis ad Artic. I.*

II. Verba *Pacificationis* sic so-  
nant: *Quantum itaq; ad religionis ne-*  
*gotium attinet, non obstantibus priori-*  
*bus pro tempore constitutionibus publi-*

sis, sed neq; Articulo postremo Anni  
 1604. (cūmis extra Diætam & sine  
 Regnicolarum consensu adjectus fuerit;  
 & propterea etiam tollitur.) Delibera-  
 zum est, ut juxta Sac. Cæs. Regiæq; Ma-  
 jestatis priorem resolutionem, ad quam  
 se Regnicolæ in sua replicatione referunt:  
 Nimirūm, quod omnes & singulos Sta-  
 tus & Ordines, intra ambitum Regni  
 Hungariae solum existentes, tam Magna-  
 res, Nobiles, quam liberas Civitates; &  
 oppida privilegiata, immediatè ad Coro-  
 nam spectantia: Item in confinijs Re-  
 gni Hungariae, Milites Hungaros in  
 sua Religione & Confessione, nusquam  
 & nunquam turbabit, nec per alios tur-  
 bari aut impediri sinet. Verùm omnibus  
 prædictis statibus & ordinibus liber Re-  
 ligionis ipsorum usus & exercitiū permit-  
 titur: absq; tamē prejudicio Catholicæ Ro-  
 manæ Religionis, & ut Clerus, Tépla &  
 Ecclesiæ Catholicorum Romanorum in-  
 tacta & libera permaneant, atq; ea que  
 hoc

hoc disturbiorum tempore, ulring⁹ occi-  
pata fuere, rursūm eisdem restituuntur.

III. Hoc de Pacificatione, quod  
ad Religionis negotium. Quæro  
ex nostro *Argumentatore*; Pacifica-  
tio illa vel bona fide Christiana fuit  
inita & transacta, vel dolosè & ve-  
teratoriè. Si priore modo, tum ne-  
cessè erat eam inviolatè observari:  
ne fidei Christianæ, quam oportet  
esse sacrosanctam, ulla perfidiæ la-  
bes aspergeretur. Si posterius ad-  
mittas, tum Autbores illius Pacifi-  
cationis fuerunt deceptores; si ita,  
quis jam vobis vel millies juranti-  
bus credat: præsertim ad proram  
& puppim Consiliorum sedentibus  
illis perfidiæ Magistris, in quorum  
ore nihil frequentius, quàm feralis  
ille Concilii Constantiensis Canon:  
*Fidem Hereticis datam non esse ser-  
vandam.*

IV. Sed inquit Vulcanius ille

Trium Argumentorum Faber: Pacificatio quidem Viennensis concessit quidem Lutheranis & Calvinistis liberum suæ religionis exercitium, sed sub tribus conditionibus. Quædam illæ Conditiones? Prima (ait) Conditio est; *alſq[ue] tamen præjudicio Catholicae Romanae Religionis.* Argumentator noster hanc Conditionē dicit esse impossibilem; igitur de lege haberi pro non adjecta. Itanē verò impossibilis? Ergò Pacificatio ista fuit irrationalis: quis enim homo rationalis obligat se ad impossibilia? Cave mi homo! ne injuriam Sac. Cæs. Regiæque Majestati facias irrationali illo tuo commento.

V. Pergit ille: Sed quia certum est illarum religionum exercitium esse cum præjudicio Catholicae Romanae religionis; ergò illarum exercitium non conceditur. Cur ergò tum temporis fuit concessum? & quidem sub gravissimo verbo

bo Regio: *Sacra Cesarea Regiaq; Ma-  
iestas Hungaros in sua religione nusquam  
& nunquam turbabit, nec per alios tur-  
bari aut impediri sinet.* Aut igitur tu  
pessimè Articulum Pacificationis  
explicas, aut sequitur omnes illos  
piissimos Reges, qui ab Anno 1606.  
Hungaris liberum suæ Religionis  
exercitium vigore præfatæ Pacifica-  
tionis concesserunt, Religionis Ca-  
tholicæ nimis frigidos fuisse Defen-  
sores & Cultores; concedentes id  
Hungaris, quod Religioni Romanæ  
præjudicaret. Verùm explicit No-  
bis *Argumentator*, in quo vel in qui-  
bus præjudicet Romanæ Religioni  
liberum Religionis Evangelicæ exer-  
citium; & uberioris de hoc punctione  
habebit responsum.

**VI.** Alteram Conditionem præ-  
fatæ Pacificationis esse ait: *Ut Clerus,  
Templa & Ecclesiæ Catholicorum Ro-  
manorum intacta & libera permaneant.*

Quid verò de hac Conditone? Di-  
 cit Argumentator, hanc Conditionē  
 à Lutheranis & Calvinistis sæpius  
 esse violatam. Sed quando & à qui-  
 bus? A Principibus inquit Transyl-  
 vaniæ, Gabriele Bethlen, & Georgio  
 Rakocio: cum quibus Lutherani &  
 Calvinistæ *Templa invaserunt & Ec-*  
*clesias (exspoliando, evertendo, altaria,*  
*detruncando & concidendo) verū eti-*  
*am Clerum & personas Deo sacratas,*  
*Sacerdotes videlicet persequendo, vul-*  
*merando, &c. Non est quòd disturbii-*  
*orum illorum memoriam refrice-*  
*mus; quibus qui dederint occasio-*  
*nem, novit Deus & testantur acta*  
*publica. Certè non alii, quām san-*  
*guinaria illa ingenia, quæ cœco Ro-*  
*manæ Religionis zelo abrepta, ut*  
*nunc ita & tunc, totale excidium*  
*Religioni Evangelicæ minabantur*  
*& machinabantur. Quare si præfa-*  
*ti Principes ad vindicandam religi-*  
*onis*

onis libertatem surrexerint, sit in  
perpetua benedictione illorum me-  
moria!

VII. Fiat! illis disturbiorū tēpori-  
bus, per petulantiam militarem ex-  
cessus aliquos fuisse patratos; illi ta-  
men fuerūt veluti gutta ad mare præ-  
vestris furoribus, quos in *Protestan-*  
*tes* pro occasione data exercere so-  
letis. Testatur hoc ipsum tristissi-  
ma rerum hodiernatum facies; tot  
Templa contra Diploma Regium  
occupata; tot Pastores Ecclesiis suis  
exturbati; tot Scholæ nunquam à  
vobis vel fundatæ vel dotatæ, dissi-  
patæ; tot bona Ecclesiastica, in quæ  
nihil unquam juris habuistis, dire-  
pta; tot innocentissimorum Civi-  
um in persona & bonis eorum per-  
secutiones, quorum sortem vel ipse  
juratus Christiani nominis hostis  
Turca miratur & dolet; tot cadave-  
ra ex ipsis sepulchrīs eruta & ludi-

brio exposita. Sol ipse Mundi ocu-  
lus ad tantam immanitatem cohore-  
rescit. Quinam verò hujus funestæ  
Tragœdiæ Authores? Tu inter ali-  
os *Episcope Purpure*, qui quotidie  
in Templis Evangelicorum occu-  
pādis occuparis, & similes tibi Furiæ.

VIII. At inquis: Reoccupamus  
Templa à Majoribus nostris, id est,  
Romano-Catholicis fundata, & à  
vobis iniquè possessa. Illæ tan-  
tum? Templo Paraciense, Ardo-  
viense, Petrachovicense, Toronyai-  
ense minus, & multæ alias, nunquam  
à Papistis fuerunt fundata & ædifi-  
cata; cari gitur illa occupastis? cur  
legitimis eorum possessoribus illa  
cripuistis? vel saltem talibus si mi-  
cam aliquam conscientię haberetis,  
parceretis deberetis. Sed quia semel  
aleam jecistis, ut res Protestantium in  
afflicta hac Patria perditum eatis,  
igitur absq; ullo Dci timore cluditis.

IX. Demus, multa Templa à Ma-  
 joribus nostris, dum ad auxilli Papis-  
 tæ essent, fuisse fundata & extru-  
 eta, an propterea habetis jus illa no-  
 stris ad imendi, & vobis vendican-  
 di? Certè non. Quomodo enim  
 illa ad nos devenerunt? Majorem  
 partem hac ratione, quod Majores  
 nostri qui illa fundarant, desertâ su-  
 perstitione Papisticâ, religionem  
 puriorem fuerunt amplexi; & suc-  
 cessivè ipsorum quoq; posteri; an  
 igitur per illam mutationem, jus  
 illud, quod prius ad suas Ecclesias  
 ratione foundationis & extirpationis  
 habuerunt, quo ad se & posteros su-  
 os jam *Protestantes* & *Evangelicos*, a-  
 miserunt? Minimè gentium! Do-  
 casum: Titius nunc Papista exi-  
 stens, comparet sibi agrum vel do-  
 mum, & postea fiat Reformatus; an  
 alteratione illa Religionis factâ, a-  
 micet jus suum quo ad se & poste-

ros suos ad suum agrum, à se dūm  
Papista esset, comparatum? Nemo  
nisi insanus hoc dixerit. De simili  
idem esto judicium. Igitur jure  
Templa, Scholas, Parochias nostras,  
bonaque ad ea pertinentia possedi-  
mus; vos verò summa cum Dei ho-  
minumque injuria, ea nobis eripi-  
tis. Quid hoc est? nisi purum pu-  
tum latrocinium.

X. Tertiam porrò, (ut jam ad e-  
am deveniamus) Pacificationis pre-  
fatæ Conditionem ait esse Argumen-  
tator: *Uli occupata disturbiorum illorum  
tempore, rursùm restituantur.* At ho-  
mo iste qui in frontispicio sui libelli  
promittit se *Veritatem toti Mundo de-  
claraturum*, manifestus fallarius hac  
in parte deprehenditur, verba &  
sensum Articuli pervertens. Verba  
Pacificationis ad Artic. I. ita se ha-  
bent: *Atq; ea, quæ hoc disturbiorum  
tempore, hinc occupata fuere, rursùm  
eis-*

eisdem restituantur. Articulus ait: hoc  
disturbiorum tempore, nempe  
Boeskaianorum; Leguleus scribit,  
*disturbiorum illorum tempore;* parti-  
culam *illorum* referens ad disturbia  
Bethlemitica & Rakocziana, de qui-  
bus Articulus ille non sonat, quæ  
nondum fuerant exorta: sed sonat  
de disturbio Bocskaiano, sicut ma-  
nifestè liquet ex Artic. ad 15. Arti-  
culus præscribit, *ut ea quæ utrinq;* id  
est, tām à partibus Cæsareanis, quām  
Bocskaians fuerunt occupata, rar-  
sus eisdem restituantur: At *Argu-*  
*mentator* noster omisit particulam  
*Utrinq;* Scilicet sibi & suis nimis in  
liberalis, vult Papistis omnia resti-  
tui, Protestantibus nihil; imò illis  
omnia eripere, sicuti defacto hodiè  
fit.

XI. Num verò vigore Pacificatio-  
nis illius, ea quæ isto disturbiorum  
tempore utrinque occupata fuere,

rursus eisdem fuerunt restituta? Certè ita. Lege quælo Art. ad 15. & frontem capera. Disce porrò diversas res & materias non confundere. Non ergò à Protestantibus Tertia illa Conditio fuit violata: Verum etiam quicquid illis disturbiorum temporibus, sive Bocskaiianis, sive Bethleniticis & Rakoczianis utrinque commissa sunt, illa omnia vigore Pacificationum, & superinde emanatorum Diplomatū Regionum, jam pridem in Amnestiam abierunt & consopita sunt. De Bocskaiianis legatur Articul. ad 15. non ita procul à fine: *Nos ex plenipotentia nobis. &c.*

XII. Similiter distubbiis Rakoczianis, quicquid offensionis vel iniuriarum utrinque fuit, vigore pacis Anni 1647. Diplomate Region confirmatæ, sublatum esse, nemo nescit, signanter vero de liberto

bero Religionis exercitio ita con-  
 clusit Sacra Cæsarea Regiaque Ma-  
 jestas: *Quantum ad religionis nego-  
 gium attinet, Artic. I. Annis 1608. ante  
 Coronationem edito, & Diplomatibus  
 regiorum conditione &c. alijsq; subsequen-  
 tibus super inde Regni statutis, in vigore  
 relictis, diversisq; hactenus impedimentis  
 & interpretationibus non obstantibus  
 declaratum & conclusum est, quod o-  
 mnes Status & Ordines Regni, ipsaq; Li-  
 beræ Civitates, nec non oppida privile-  
 giata, & Milites Hungarici in Confinijs  
 Regni, liberum habeant ubiq; religi-  
 onis suæ exercitium, cum libero Templo-  
 rum, Campanarum, & Sepulchra usu,  
 nec quisquam in libero suæ religionis ex-  
 ercicio, à quoquam quovis modo, aut  
 quovis sub praetextu turbetur & impe-  
 diatur. De non impediendis seu turban-  
 dis Rusticis, in sua Confessione, declara-  
 tum etiam & conclusum est, ut illi quoq;  
 propter bonum Pacis & tranquillitatem*

Regni, sive sunt Confiniarij, sive Oppida-  
 ni, sive Villani, in quorumcunq; Domi-  
 norum Terrestrium & Fisci Bonis iuxta  
 vigorem praescripti Articuli & conditio-  
 nis, in libero sua Religionis exercitio, ac  
 usu, modoq; ut supra simili, à Sua Ma-  
 jestate Regia, vel ejusdem Ministeris, aut  
 Dominis suis Terrestribus, quovis modo  
 aut quovis sub pretextu, non turbentur,  
 aut impedianter; hactenus autem im-  
 pediri, coacti & turbati, liberum Religi-  
 onis ipsorum usum reassumere, exerce-  
 re & continuare permitantur, nego ad  
 Ceremonias Religioni ipsorum contrari-  
 as peragendas compellantur: Concor-  
 datum etiam est inter Nos, ut in poste-  
 rum ab eorundem Oppidanorum & Vil-  
 lanorum Parochijs, Ecclesiae Pastores, si-  
 ve Concionatores, per quoscunq; amo-  
 veri, & exturbari neutquam possint;  
 qui autem hactenus amoti fuissent, lice-  
 at ipsis reducere, vel alios loco ipsorum  
 substituere.

XIII. Sed excipit *Argumentator Purpuratus*: Articulum 5. præfatae Pacificationis, non esse consensu & unanimi voto Quatuor Statuum Regni conditum & factum: quia Primus Regni Status, nempe Clerus, contradixit ex integro; Item Secundi, Tertii, & Quarti Status pars posterior, id est, Universi Magnates, Nobilesque Catholici, &c. Novimus sanè turbulentos quosdam homines, quibus nec curæ, nec cordi unquam Pax publica fuit, Pacificationi isti Regiae obstrepuisse: At Rex pientissimus (ut habent Verba Articuli) Diplomate super eadem pace emanato, ut Status quoque & Ordines Regni assensum suum præberent, ab iisdem benignè postulavit; iidem quoque fideles Universi Status & Ordines Regni, benignæ Suæ Majestatis requisitioni humiliè annuentes, idem Diploma Ma-

jestatis suæ Sacratissimæ acceptarunt, approbarunt & confirmarunt, Contradictionibus Cleri (NB) & alicetum quorumcunq; Secularium Catholicorum non obstantibus, immo iisdem in perpetuum nullum vigorē habentibus. Audit? Quod fideles Universi Status & Ordines Regni Diploma Regium approbarunt; infideles ergo, & tum & nunc Suæ Majestati sunt & fuerunt, qui Diploma illud Regium abolitum esse cupiunt & contendunt.

XIV. Dicis foris: In persona & morte Ferdinandi III. sub quo Pacificatio fuit inita, Diploma illud Regium expirasse, & vigorem suum amisisse. Minime gentium! Imo verò omnes suos successores legitimos Hungariæ Reges, ad illius observatione Cæsar pientissimus sanctissime obligavit, sicuti de verbo ad verbum ad calcem Diplomatis habetur: Nos

itasq;

itaqꝫ præscriptas universas & singulas  
concessiones & Articulos, ac omnia &  
singula in eis contenta, prout ydem tra-  
etari & conclusi sunt, atqꝫ hisce literis  
nostris de verbo ad verbum inserti, ac-  
ceptamus, approbamus & ratificamus,  
assecurantes prefatos Principem Tran-  
sylvaniae, eiqꝫ adhaerentes, ac etiam Uni-  
versos & singulos Status & Ordines In-  
cliti Regni nostri Hungariae, in verbo  
nostro Regio, & bona fide Christiana,  
quod eos omnes & singulos Articulos,  
in omnibus eorum punctis & clausulis,  
tam nos ipsi sancte & inviolabiliter ob-  
servabimus, quam etiam per alios omnes  
subditos nostros, quorum interest, vel in-  
tererit, cuiuscunqꝫ Status & Conditionis  
sint, observari faciemus. Ad quod ob-  
servandum (NB) etiam successores no-  
stros legitimos scilicet Hungaria Reges  
obligatos esse volumus.

XV. Dicis porro : Pacificatio  
Acacillam non tam fuisse spontane-

am; quam armis Rakoczianis tum  
 præalentibus violenter extortam:  
 quare cùm nullum violentum sit  
 perpetuum, & quia jam nihil ab e-  
 jusmodi Armis sit metuendum, non  
 obligari suam Majestatem ad Arti-  
 culum toties dictæ Pacificationis.  
 Itané verò *Argumentator Purpure*  
 fides apud vos merè occasionalis est;  
 & instar Vertumni, prout hinc vel  
 illinc aura flat, variabilis? Illud au-  
 tem quod oggeris, falsissimum est,  
 & in Majestatem Regiam, quasi me-  
 tu perculta quicquam fecisset, lon-  
 gè injuriosum. Imò verò Pacifica-  
 tionem illam iniit Regia Majestas,  
 pro pio paternoqué suo affectu, ad  
 humillimam fidelium suorum sub-  
 ditorum supplicationem; sicuti si-  
 quet ex inscriptione Pacificationis:  
*Nos Ferdinandus Tertius, Dei Gratiâ*  
*&c.*

XVI. Fortè illud objicis; vel

saltem nuperà Francisci Rakoczi, ei-  
 que adhærentium rebellione Di-  
 ploma Regium de Pace Religionis,  
 vigorem suum amississe. Scimus ta-  
 le quid prætexi. Sed an propter  
 paucorum quorundam culpam  
 (certissimum enim est, omnes &  
 singulos Hungaros, non potiorem  
 eorum partem, in rebellionem il-  
 lam nedum consensisse, sed neque  
 consciens illius fuisse) Diploma Re-  
 gium, in publicum totius Regni bo-  
 num confectum, verboque Regio  
 confirmatum, aboleri & annullari  
 debeat? Æquumne est tot millia  
 innocentissimorum Civium, in  
 persona, bonis & religione ob alio-  
 rum facinora turbare?

Scilicet: *Delirant Reges (ambi-*  
*tiosi) miseri plectuntur Achivi.*

Et quod majus: *Dat veniam cor-*  
*vibus, vexat censura columbas.*

Atque ita Primum Argamentatoris Purpurati Argumentum, jacet (nisi fallor) prostratum.



Refutatio Secundi Argumenti ex Legibus [ut fingit] Rationis deducti.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

**T**N Refutatione hujus Argumenti, quod est merum cavilium ex primo Argumento deducendum, non est quod multum laboremus: nam illo jam prostrato, hoc sua sponte ruit. Videamus tamen Episcopalis Dialecticæ Syllogismum, qui sic sonat: *Sacra Cæs. Regiaq; Majestas, non obligatur ad Articulos Regni Hungariae servandes, qui non sunt conditi consensu & unanimi votis.*

voto, quatuor Statuum Regni: sed ex præmissis in favorem Lutherne & Calviniane Religionis conditi, non sunt ex consensu ac unanimi voto quatuor Statuum Regni. Ergo Sua Majestas non obligatur ad servandos illos Articulos.

II. Taceo, quod in Episcopali illo Syllogismo Præmissæ omnes sunt negantes, & propterea Dialecticè nihil concludentes. Sed dico: Præmissas illas. id est, Primum Syllogismum, cui nititur hoc Secundum, esse falsissimum, & nervosè à Nobis refutatum; igitur etiam quod ex Præmissis illis concluditur est planè ἄλογον. Et quod attinet Minorem (ut Dialecticè loquar) Propositionem, vide sup. in Refut. I. Argument. § XIII. illius refutationem.

III. Conceditnr quod dicis, juxta antiqua Regni Statuta Part. 2. Tit. 3. eos qui Populi nomine veniunt.

habere facultatem Leges & Statuta Regni condendi. Sed quod assu-  
mis, nempe *Populi* nomine non in-  
telligi Evangelicos, quos Lutherans  
& Calvinistas vocas; & proin-  
de illos non habere potestatem, le-  
ges & Articulos condendi, est lon-  
gè falsissimum. *Populi* nomine  
qui veniant, declarat Tit. 4. Part. 2.  
Scilicet Prælati, Barones, Magnates,  
& quilibet Nobiles. An ergò soli  
Papistæ hactenùs in Hungaria fuère  
Barones, Magnates, & Nobiles? E-  
vangelici verò ex numero & ordine  
horum Statuum nulli? Impuden-  
tissimum assertum!

IV. Novimus eam esse *Cleri* in-  
tentione, ut oppressis aliis Ordi-  
nibus (quod jam fermè factum est)  
ipse solus possit esse omnia in omni-  
bus. Et certè si hactenùs penes il-  
lum solum stetisset, nullus Evangelici-  
orum, ne dum in numero Ordinum,

num, sed nec in ordine viventium fuisset. Verum fœlicis recordationis *Ferdinandus Tertius*, ejusq; Prædecessores, non obstantibus Cleri contradictionibus, sæpè quod è re reipublicæ fuisse visum est, Articulares superinde fecere Conclusiones. Frustrà igitur obstrepit *Episcopus Purpuratus*, Clerum contradixisse Articulo 5. Pacificationis Regiae, & proinde illum esse invalidum: nam Regia Majestas contradictionem illam in perpetuum nullum vigorem habere pronunciavit, ibid. *Artic. 5.*


V. Vestrum-nè est Pientissimi Regis decretum Verbo Regio confirmatum, & Diplomate publico roboratum, infringere, imò absolutè tolli, castari & annihilari velle? Domine Episcope! Deum time, Regem honora, non tantum in vita, sed & post sua fata. Nonné ferali ista tua sententia: *Jure metit*

Articulus ille ; cæteriq; ibidem (in  
Diplomate Regio) in favorem Luthe-  
ranorum & Calvinistarum citati, non  
modo observari non debent, sed absolute  
tolli, cassari & annihilari, Sanctissimos  
Pientissimi Regis & Imperatoris  
Ferdinandi manes sollicitas?

VI. Quos ergo in posterum vis  
reassumi, confirmari, & debitæ ex-  
ecutioni mancipari Articulos? Ar-  
ticulos, inquis, Ludovici II. Regis.  
Anni 1523. Artic. 48. Ut omnes Lu-  
theranos, pœnâ capitis & ablatione bo-  
norum Majestas Regia punire dignetur.  
Et Artic. 4. Anni 1526. Ubi tamen  
contra Evangelicos ne  $\chi\psi$  quidem  
haberetur; tam oculatus es Legista!  
Item Artic. 22. Rudolphi Anni  
1604. Ubi cavetur: ut religionis ne-  
gotium in publicis tractatibus & Dietis,  
nemo temere moveat. Quod & nos  
concedimus: Nulla enim actio te-  
mere suicienda est.

VII. At quod feralem illum Articulum, de Lutheranis capiendis, comburendis, bonisque eorum publicandis attinet, jam olim ille pietate Divorum Hungariæ Regum est abrogatus & abolitus. Quod vero Episcopus Váradiensis Articulum illum reassumi, confirmari, & debitæ executioni mandari velit, qualis spiritum in pectore suo foveat, toti mundo aperiè declarat. Non certè mansuetum illum Christi spiritum, Christiano Episcopo dignum, qui cædes, incendia, & bonorum alienorum direptiones abominatur; Sed fortiè spiritum illius, qui ab initio fuit homicida. Peremptiam in capita Evangelicorum ferox ille Episcopus dixit sententiam; jam novimus quid facto sit opus. Fænum habet in cornu, niger est, hunc tu, Evangelice caveto.

Atque ita etiam de Secundo  
Argumento satis  
est.



Refutatio Tertii Argumenti, ex  
Confessione (ut ait) Adver-  
sarium desumti.

**T**ertium Episcopi Argu-  
mentum in forma tale est: Si  
tolerandi essent Calvinista & Lutheran-  
i in Hungaria, in tantum essent tole-  
randi, in quantum Calvinista profite-  
rentur Helveticam, Lutherani vero  
Augustanam Confessionem: nam Ar-  
ticuli illi, quos in favorem illorum condi-  
tos prætendit utræ pars, loquuntur so-  
lium de Hominibus Helvetica & Augu-  
stanæ Confessionis: At Calvinista in  
Hungaria non profitentur Confessionem

Hel-

*Helveticam, sicut nec Lutherani Au-  
gustanam. Ergo nec Calvinistæ, nec  
Lutherani sunt tolerandi in Hunga-  
ria.*

**I I.** Quod attinet Assumptionem  
Syllogismi Episcopalis, respectivè  
ad Lutheranos, ego illam ipsis re-  
linquo; habent ætatem, credo re-  
spondebunt pro se. Hoc unum  
tantum dixero: Si Lutherani in  
Germania tolerantur vigore *Pacifi-  
cationis Passavensis* factæ anno 1556.  
interventu Ferdinandi Regis Hun-  
gariæ & Bohemiæ, quâ *Religionis li-  
bertas* secundùm Confessionem  
Augustanam concessa, & stabilita  
fuit; quidni & Lutherani in Hun-  
garia respectivè ad Confessionem  
Augustanam sint tolerandi: non  
enim puto Lutheranos Hungaros  
quoad Confessionem Augustanam  
discordare à Lutheranis Germanis  
**Cavete** verò vobis Lutherani Ger-

mani ! nam facile reperiri potest Jesuiticus aliquis scurra, qui dicat vos à prima illa Confessione Augustana Carolo Quinto exhibita, discessisse ; atque ita non obligari Imperatorem ad Pacificationem Passaviensem, in qua fundatur liberum Augustanæ Confessionis in Germania exercitium. Sicut ante paucos annos *Innocentius X.* Papa, Bullâ superinde editâ, pacem illam, (quam Imperii Palladium jure dixeris) abrogatam esse voluit. Discite exemplo nostro esse cauti : qui Pacificationi de libertate Religionis Regio Diplomate confirmatae, multum confisi, jam sumus confusi.

III. At quod Reformati in Hungaria Helveticam Confessionem non profiteantur, est falsissimum Argumentatoris Assumptum. Et quod hoc prober, age videamus. Proba-

tio generalis est : Ajunt Helvetici  
 Artic. II. Comprehensa Symbolis &  
 Sententijs quatuor primariarum & prae-  
 stantissimarum Synodorum, celebrata-  
 rum Niceæ, Constantinopoli, Ephesi. &  
 Chalcedone, credimus corde sincero. Sed  
 moderni Calvinistæ in Hungaria, non  
 quod sincero corde crederent comprehen-  
 sa Primis hisce quatuor Synodis: quin  
 plaus credunt contrarium.

IV. Pervertit mi Argumentator  
 mentem Confessionis, dum illam  
 secundum Fallaciam à dicto secun-  
 dum quid ad dictum simpliciter in-  
 telligis. Nam Articulus sonat de  
 Mysterio Incarnationis Christi; do-  
 centque Helvetici (quorum verba  
 truncasti) Quaecunque de Incarnationis  
 Domini nostri Jesu Christi mysterio, de-  
 finita sunt ex Scripturis, & comprehen-  
 sa Symbolis ac sententijs quatuor prima-  
 rum & præstantissimarum Synodorum,  
 &c. credimus corde sincero. Et hoc ve-

cum est. Tu verò falsò à particula-  
ri ad universale argumentaris.

V. Ego verò nego , Calvinistæ  
Hungaros, quoad ulla essentialia  
& fundamentalia contrarium cre-  
dere iis, quæ in veris & genuinis  
quatuor illarum primiarum &  
præstantissimarum Synodorum ca-  
nonibus comprehenduntur. Tu  
qui probes, examinemus.

VI. 1. Ais: Inter Canones Con-  
cilii Nicæni hoc legitur: Patres Con-  
cilii Nicæni statuere, neque Clericum  
quenquam debere esse, qui secunda con-  
iugia sortitus est. Hoc ipsum statutum,  
credunt esse doctrinam Dæmoniorum  
moderni Calvinistæ. Ergò non consen-  
tiunt cum Helvetica Confessione syncer-  
o corde statutum Necæni Concilii ac-  
ceptante , &c. Resp. I. Limitavi  
supra, nos quoad omnia fidei dog-  
mata, sincero corde credere com-  
prehensia symbolis ac sententiis.

quatuor primarum & præstantissi-  
marum synodorum: At ad Nupti-  
as secundas transire, est ne dogma  
fidei: Nec est, ut limitationem me-  
am aliquis Sobista rideat: Nam  
& Leo Papa in Epist. 59. hac limitati-  
one dixit se approbare Concilium  
Chalcedonense, scilicet, quantum  
ad explicationem fidei, teste Bellar-  
mino. Lib. 2. de Pontif. Cap. 22. 2.  
*Resp.* Cœlibatum Ministrorum sim-  
pliciter non dicimus esse doctrinam  
Dæmoniorum, sed prohibitionem  
Conjugii respectivè ad illos quibus  
juxta Pauli doctrinam satius esset  
nubere quam uri. Fundamenta  
quidem Cœlibatus Clericalis jam in  
Concilio Nicæno cœperantponi;  
nemo tamen invitatus ad illum coge-  
batur; suaq; Authoritate intercessit  
S. Paphnutius Confessor, quamvis  
ipse Cœlebs, ne id ipsum fieret. Vi-  
de Socrat. Hist. Eccles. lib. 1. Cap. 8.

VII. 2. Idē Conciliū Nicenū Can. 39.  
ex Arabico per Pisanum verso hæc habet:  
Qui tenet sedē Romæ, Caput est &  
Princeps omnium Patriarcharum:  
Sed huic moderni Calvinistæ nō conser-  
tiūt, E. non sunt Helveticae Confessionis,  
cū Nicæna synodo sincerè consentientis.  
Ex. Jam & illud supra notavi, nos in-  
bærere Statutis Primarū & præstā-  
tissimarū Synodorū, comprehen-  
sis, veris & genuinis earum Canonici-  
bus: Ac Canon ille Arabicus Pisani  
ab Argumentatore citatus, est spu-  
rius, ne piso quidem dignus. Nam  
teste Theodoreto lib. I. Cap. 8. Con-  
scripsere (Patres Nicæni) leges admi-  
nistrationis Ecclesiasticae vigintianum.  
Quod & Gratianus confirmat, Di-  
stinct. 16. Can. 20. Viginti tantum  
Capitula Nicæna Synodi in Sancta Ro-  
mana Ecclesia baberi. Hinc & illa  
quæ de Sacrificio Missatico, de Ora-  
tione pro defunctis, Argumentator

noster, Num. 3. & 4. ex Canonibus  
Arabicis allegat, nullo commate  
sunt digna, sed una cum Authore  
suo in Arabiam releganda.

VIII. Et quia Nicæno Concilio  
quoad fidei dogmata, & quæ in  
veris ac legitimis illius Canonibus  
babentur, firmiter adhæremus; se-  
quitur nec Concilio Constantino-  
politano Synodi Nicæna Statuta  
confirmanti, quicquam refragari  
Calvinistas in Hungaria; & proinde  
esse veros ac genuinos asseclas Helve-  
ticæ Confessionis, Nicænam & Con-  
stantinopolitanam Synodus ap-  
probantis.

IX. Dic porro, in quo vel in qui-  
bus Hungari Reformati repugnant  
Concilio Ephesio, ab Helvetica  
Confessione approbato? In eo (in-  
quis) quod cum Concilium Ephe-  
sium ratam habuit præeminenti-  
am in spiritualibus omnem Cœle-

stini Papæ, cuius vice in dicto Con-  
 cilio Pientissimus quōdam Cyrilus  
 Alexandriæ Episcopus præsidebat;  
 Calvinistæ Hungari id minimè ra-  
 tum habent: imò damnant & ex-  
 sibilant S. Cœlestini factas quoad  
 Missam institutiones. Jam antea  
 notavimus, nos Concilium Ephesi-  
 num unā cum aliis præstantissimis  
 Synodis, venerabundos suscipere,  
 quoad omnia fidei dogmata: At  
*Introitus, Graduale, Tractus, Offerto-*  
*rium, &c.* (quorum Authorem fa-  
 cis Cœlestinum) suntne talia? Cre-  
 dite non placent nobis pueriles nu-  
 gæ: Pueris permittimus ejusmodi  
 crepundia. Deus in spiritu & ve-  
 ritate est colendus. Nec ex præsi-  
 dentia Papæ, vel per se, vel per suos  
 Legatos in hoc vel illo Concilio,  
 poterit quis solidè colligere præ-  
 eminentiam ejus in spiritualibus o-  
 mniem. Præminentia enim alia

est Ordinis, qualem in Concilio Præses habere solet: alia Jurisdictionis; tallem in reliquos Collegas non habet, nec Cœlestinus habuit: unde etiam in *Præfat. Concil.* cœteri Episcopi eum *Comministrum suum* appellant.

X. Sed fortè **Concilio Chalcedonensi**, ab Helvetica Confessione approbato, dicam scripserunt Hungari Calvinistæ; ac propræcè non sunt genuini Helvetici, & per consequens à Regia Majestate in Hungaria non sunt tolerandi. Non satis est dixisse, da probandi!

XI. Arguis I. *Quia Concilij Chalcedonensis Patres Act. 3. in Relat. Concil. Leonem Pontificem Caput suum appellant, quibus ille sicut membris præerat.* Sed Hungari Calvinistæ Pontificem pro Capite non agnoscunt. E. &c. Resp. Miror quod personæ & honoris, quem gerit, *Argumentator noster*

immemor, tam audacter nūgetur.  
 Nam in Relat. Concilij Edit. Coloniensis,  
 Anni 1551. verba illa ab ipso citata,  
 Nos convenimus, quibus Tu sicut mem-  
 bris Caput praeeras, prorsus non repe-  
 riuntur. Jesuiticum hoc est figmen-  
 tum & additamentum, ex quorum  
 etiam scribiis libellum suum excri-  
 psit & confecit. Ita & sequentia:  
 Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum  
 honor a judicium, & sicut Capiti in bonis  
 adjecimus consonantiam, sic & Summi-  
 stastua filij: (quod decet) adimpleat: sub-  
 lesta fide citantur. In Relatione  
 Concilii habetur: Et sicut Cupidi in  
 bonis adjecimus consonantiam. Argu-  
 mentator pro voce Cupidi, scripsit  
 Capiti. Hem fidem planè Punicam!  
 Quid ingenuitatis ab ejusmodi ho-  
 minibus possimus sperare, qui ad  
 desperatam suam causam quoquo  
 modo tuendam, sincera quæquaæ  
 perverrunt & corrumperunt.

XII. Cavillaris 2. Expressè habet idem Concilium Act. 2, circa medium, quòd S. Petrus per Leonem Pontificem loquatur : Ergò Hungari tanquam minimè Helvetici non sunt tolerandi. *Resp.* Scilicet ! baculus in angulo, ergò cras pluer. Sententiam S. Petri contra Hæresin Futhianam (de illa enim ibi est sermo) loquentis, sive per Leonem Papam, sive per alium quemcunque illa pronuncietur, nos ratam habemus. Indené verò primatum Pontificis Romani conficies ? Imò in Concilio illo Chalcedonensi adversus fastum & usurpationes Romanas, repetitus & confirmatus fuit Canon Synodi Constantinopolitanae, de pari dignitate Ecclesiæ Constantinopolitanæ post Romanam, ringentibus licet & obmuranibus Sedis Romanæ Legatis. Ecce quām fayentem vobis habetis Synodum

Chalcedonensem! Hinc apud Pa-  
pistas quanto in pretio sit Concili-  
lum Chalcedonense, docet nos  
Bellarminus, lib. 2. de Pontif. Capit.  
17. *Decretum illud magni quidem Conci-  
lij. (intelligit Chalcedonense) sed non  
legitimè factum; proinde nullius esse  
roboris vel autoritatis.*

XIII. Ais 3. *Esse Sanctionem  
Concilii Chalcedonensis.* Act. 14.  
Can. 16. *Si qua virgo se dedicavit Deo,  
similiter Monachus, non licet eis jungi  
nuptiis: si verò inventifuerint hoc faci-  
entes, maneant excommunicati.* Ergo  
Calvinistæ Hungari tanquam mini-  
mè Helvetici, non sunt in Hungaria  
tolerandi. *Rsp.* Scilicet secundum  
Asinianam Dialecticam! imò secun-  
dum stultissimam ignorantiam. Ac-  
tio enim 14. Concilii Chalcedo-  
nensis planè nullos habet Canones.  
Igitur non entis nullæ sunt affectio-  
nes. Miror Episcopum illum, qui  
caput

caput suum hodiè extollit, sicut len-  
ta solent inter viburna cupressi, nec  
pudoris, nechonoris sui haberet ra-  
tionem, tām liberaliter mentiendo.

XIV. Ultra non addam. Judicet  
totus Mundus, imò Sanctissimus  
Angelorum Chorus, nūm famosa il-  
la *Tria Argumenta Episcopi Purpu-  
tati*, sint tam valida, quæ Conscien-  
tiā Sacrae Cæs. Regiæq; Majestatis  
moveat valeant, ad Pacem à Piissi-  
mis suis Prædecessoribus Religioni  
datam, abrogandam, cassandam  
& annihilandam; ut persuade-  
re satagit fastuosus ille  
Præsul-





## Refutatio Complementi.

**N**I fallor, defecerant *Argumentatori nostro*, tūm res, tūm verba, igitur propter fugam vacui, putidissimo illo Donationis Constantini Magni figmento, libellum suum complere voluit Donationem illam, quā Primate Pontificis Romani, ejusq; dominium temporale tuemini, nunquam fuisse factam, invictissimis Argumentis probari potest; & ab Eruditis ita jam explosa est, ut pudeat vel in lucem proferre.

II. Quid? quod in jure Ca-

noni

nonico Pontificiis sacrosancto,  
 Donatio illa, pro mera (ut Ti-  
 tulus prætert) *Palea* habetur.  
 Nec Eusebius diligentissimus  
 vitæ Constantini Magni scri-  
 ptor, ullam vel minimam ejus  
 mentionem facit. Certè tam  
 momentosam materiam, qui  
 vel minutias circa Constanti-  
 num persequitur, intactam  
 non reliquisset; si quicquam re-  
 alitatis illa Donatio habuisset.

III. Accedit & illud, quod  
 Constantinus Magnus, paulò  
 antemortem suam, totum Ori-  
 entis & Occidentis Imperium,  
 inter Filios suos diviserit; fal-  
 sum est igitur, quod totius Itali-  
 æ, & occidentalium regionum

[ut]

(ut in *Complemento* refertur) provincias, Sylvestro Papæ, e-  
jusq; Successoribus tradidisset,  
in remunerationem baptismi  
(ut fingitis) à Sylvestro suscepiti,  
& lepræ ab eodem curatæ. Et  
quid hoc est, quām figmentum  
figmento accumulare? Nam  
Constantinum non Romæ à  
Sylvestro, sed Nicomediæ ab  
Eusebio Episcopo Nicomedi-  
ensi; & quidem paulò ante o-  
bitum, fuisse baptizatum, te-  
stes sunt Eusebius in vita Con-  
stantini lib. 4. Cap. 61. Socrat.  
Hist. Eccles. lib. 1. cap. 26.

IV. Faceisse igitur cum nū-  
gaci illa Donatione! Si viri e-  
stis, veritate & argumentis cer-  
tetis.

tetis. Argumentis? Sed eanunc  
 sunt tempora, in quibus, Pelli-  
 tur è medio Sapientia, vi geritur  
 res. Sed vincet tandem ali-  
 quando veritas.

*Vincat! Vivat!*

F I N I S.

BCU Cluj - Central University Library Cluj



*f*  
*f*  
*for me*